DE
CARDITIDE EXSUDATIVA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRIDERICUS LUDOVICUS BOCK
HAVELBERGENSIS.

OPPONENTIBUS:
LUDOVICO DE LEUW, MED. ET CHIRURG. DR.
ARMIN. STUBENRAUCH, MED. ET CHIR. DD.
RUD. GRUBE, JURIS CAND.

BEROLINI,
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

MATRI

OPTIMAE, DILECTISSIMAE,

AD CINERES USQUE COLENDAE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quam materiam ad dissertationem inauguralem conscribendam mihi eligerem, multum diuque mecum reputavi, animoque volvi, quippe qui bene sentirem, eum solum morbum aliquem adumbrandum sumere atque descriptionem omnibus numeris absolutam edere posse, qui ingenii acumine conspicuus, multaque experientia edoctus sit. Proinde liceat mihi tironi, ad me ipsum erudiendum, quae in operibus virorum peritissimorum et illustrissimorum cum illis casibus, quos observare mihi contigit, congruentia inveni, in dissertatione inaugurali proponere. Elegi autem ex innumeris artis medicae speciminibus argumentum carditidem exsudativam, et quum mihi hujus morbi gravissimi, haud ita frequentis, accurate observandi occasio data fuerit, et quum recentiorum demum temporum medici morbos cordis diligentius perscrutari coeperint, multaque in

illis morbis adhuc obscura ac plane incognita sint. Quapropter omnia, vel minima, dummodo ad hos morbos illustrandos aliquid conferant, colligenda et consideranda sunt, nullumque ejusmodi conamen, etsi valde imperfectum et mancum, contemnendum mihi videtur. Me vero hac in re nihil aut novi detexisse, aut incognitum explicuisse, optime egomet ipse scio atque ingenue fateor.

Nunc nihil restat, nisi ut benevoli lectoris indulgentiam implorem.

MORBI RELATIO.

Theophilus Kr...., ut videbatur, ex gente satis valida ortus et quinquaginta sex annos natus, celsa et robusta statura erat, atque per totam vitam, praeter plethoram abdominalem et affectiones haemorrhoidales inde pendentes, ab omni morbo ita alienus fuerat, ut unquam se pectoris vel cordis vel ullo graviori morbo laborasse negaret.

Idem anno, antequam aegrotavit, a parvo quodam munere publico propter fraudationes remotus, et incusatus turpem poenam expectans, cum familia Halis morabatur, victum quaerens ex farinarum tenui mercatura.

Ineunte mense Junio ex itinere pedestri non ita magno regressus et toto corpore transpirans, in fenestra domicilii sui aërem frigidiusculum inhalans, suscepto frigore, doloribus rheumaticis affectus, et paullo post saccis haemorrhoidalibus tum turgescentibus collapsis, aegritudinis instantis sensu, ut lectum quaereret, coactus est. Nec vero statim medicus arcessitus, sed domesticis medicamentis sudorificis,

infuso florum sambuci puta, susceptum frigus oppugnatum. Neque, ut quidem videbatur, frustra; nam sudore universali et somno tranquillo et profundo refectus, sequente die aegrotus nihil nisi leves dolores trahentes in extremis corporis partibus et sensum quendam languoris questus, a muneribus perfungendis non amplius sese abstinuit.

Septem vero post dies media nocte ab uxore aegroti celerrime advocatus, non levi sane morbo correptum inveni, quem jam in optima convalescentia versari putabant. Modo dorso recumbens, modo in alterutrum latus sese volvens, vultu nunc torvo, nunc timido et humili, nunc leviter spiritum ducens, nunc graviter et profunde, nunc taciturnus, nunc fere garrulus, summa anxietate oppressus, aegrotus ad quaestiones meas concinne respondere non valuit, sed modo falsum, modo nihil respondit, ita ut cerebrum ab omni affectione liberum non esse plane elucerct. Mira quadam inquiete jactatus, non multum tamen questus, praeter dolores profundos, modo obtusos, modo pungentes et lancinantes, ex cordis regione versus scapulam penetrantes, solummodo anxietatem internam et pectoris oppressionem accusavit. Affines ejus de causa morbi praesentis interrogati, certi nihil attulerunt; ex animi vexatione morbum pendere putabant, quum die antecedente aegrotus nuntium accepisset, ad incarcerationem in decem annos sese condemnatum esse; quo nuntio ita eum affectum esse, ut statim frigore arreptus in

febrem praesentem incidisset. Eundem post susceptum frigus, cujus supra mentionem feci, satis bona valetudine usum esse, et ipse et familia unanimiter contendebant, sub tempus vespertinum usque ad mediam noctem morbum tam atrociter exarsisse affirmantes.

Jam ad physicalem, ut certam assequerer morbi cognitionem, transii explorationem.

Pulsus conditio valde a statu normali adhorrebat: irregularis, inaequalis, intermittens, palpitans, duriusculus, non admodum frequens et plenus centies et quater in singulis minutis micabat [1]). Motus cordis ope tubae auditoriae vibrans et palpitans et intermittens, sed non fortior, quam in statu sano ab omnibus, qui hanc explorationem instituebant, percipiebatur; crepitatio vel strepitus abnormis nullus audiendus, neque inter percutiendum sonus gravior in ulla pectoris regione observandus. Respiratio magis videbatur, quam revera erat difficilis; jussus aegrotus thoracem bene extendit pulmonesque aëre implevit, quod murmure respiratorio in omnibus pectoris partibus bene audito affirmabatur. Neque tamen fere ulla sine tussicula sicca et sine dolorum incremento profundior contingebat respiratio. De capitis dolore, excepto gravitatis sensu,

---

[1]) In arteria quidem carotide pulsus intermissiones prope nullae apparebant, dum in arteria radiali post tertium quemque ictum quartus deesset, id quod etiam ictu cordis cum arteriarum pulsu synchronico fiebat.

patiens non querebatur; abdomen praeter solitam alvi adstrictionem morbosi nihil praebuit. Cutis sicca, in trunco et praesertim in pectore admodum calida, in extremis corporis partibus frigida, sudore glutinoso obtecta; facies praeter circumscriptum in genis ruborem et labiorum livorem pallida, summam anxietatem exprimens; oculi modo timidi, modo truces, inquieti in orbita circumvoluti. Urina parca, flammea, mox cum sedimento pulverulento missa. Siti permagna vexatus aeger videbatur, quum semper potum postularet, quem si acceperat, hausta parva quantitate, reddere solebat. Appetitus ciborum omnis deerat, viriumque pro morbi brevitate magna prostratio.

Ex omnibus, quae enarravi, phaenomenis morbo pro pericarditide habito, venaesectio unc. XVI in brachio sinistro instituta, cucurbitulae cruentae in regione cordis duodecim applicatae, et infusum herbae digitalis purpureae cum nitro hoc modo praescriptum: Rp. infus. hb. digitalis purp. (ex 3β parat.) unc. vi; Kali nitric. depur. dr. i; Syrup. simplic. unc. i. M. D. S. binis horis cochlear unum sumendum. Praeterea pedes et manus fomentationibus calidis diligenter ablui jussum. Sanguis e vena missus crustam pleuriticam modicae spissitudinis obtulit. Remissio hisce medicamentis producta per diem insequentem usque ad tempus vespertinum duravit, ubi pulsus, minus intermittens, nec vero multo rarior redditus, jam in priorem statum redire incepit,

anxietate et jactatione etiam auctis. Alvi dejectio clysmate aperiente frustra tentata; urinae non major copia missa. Venaesectio repetita, hirudines duodecim regioni cordis appositae, surae sinapismis obtectae; interne idem, ac die antecedente, medicamentum porrectum.

Postero die, nullo somno refectus, aegrotus de sanatione desperare, ipsamque vitam aspernari coepit et mente non tantum, quantum initio morbi, turbata, nullum sibi gaudium in futuro relictum esse intellexit. Sua culpa salutem familiae innocentis simul sublatam esse sentiens et ipse poenae instantis timore depressus, miserabilis vir hac sui ipsius cruciatione effecit, ut vis medicamentorum aeque ac vires corporis celeriter frangerentur. Mox etiam tormina ventris sub forma dysenteriae siccae accedebant, quae ad alvi dejectiones irritas, cum tenesmo magno consociatas, infelicem coegerunt. Excreta parca cum muco tenace et acri sanguineque nigro et spisso mixta spectabantur. Non praetermittendam esse hanc intestinorum secretionem sanguinolentam existimavi, et quum jam multum temporis ante morbum praesentem patiens noster molimінibus haemorrhoidalibus laborasset, et quum sacci haemorrhoidales, refrigerio supra commemorato subito collapsi, jam denuo tumescentes et dolentes apparerent. Persuasum habui praeter animi vexationem, (qua quidem sola carditidem effici posse testimonia summorum virorum multa afferre possum)

etiam causam magis materialem, suppressionem haemorrhoidum putes, ad praesentem cordis affectionem procreandam contulisse, neque sine ratione me acturum, si fluxum haemorrhoidalem, tamquam secretionem criticam, aptis remediis excitare conarer. Itaque hirudines decem ad anum applicandas et cataplasmata tepida super imponenda curavi; simul olei ricini unc. unam per diem sumendam ordinavi.

Mirus hanc curandi rationem successus secutus. Postero die post somnum longum et profundum omnia morbi phaenomena prorsus evanuere. Pulsus, qui durante morbo nunquam aequalis et regularis fuerat, octoginta in singulis minutis ictus regulares, molles, satisque fortes micabat; cordis contractiones rhythmicae aeque ac respiratio omnino non turbatae; nullus dolor neque in pectore neque in abdomine, neque ullus denique praeter debilitatem, tam gravi morbo vel semper procreatam, sensus aegritudinis. Appetitui pro rerum conditione satis valido fructibus prunorum siccatis coctis satisfactum; siti non amplius repugnandum erat. Alvi dejectiones normales, paullulum sanguine tinctae, sine omni tenesmo et dolore sequebantur; etiam urinae major copia, quam antea missa, ex qua mox sedimentum terreum praecipitabatur. Cutis, temperatura aequali, cum magno levamine modice sudabat. Etiam animi hilaritatem quandam et gaudium de felice sanatione cernere potuisses. Quid, quod et

ego, medicus sane imperitus, jam triumphare de hoste inceperim, quum aegrotus semper semperque, jam absque omni periculo sese versari affirmaret? Non diu vero hic status bonus duravit, sed tertio jam die omnia in pejus ruebant [1]). Sensim anxietas pectoris et inquies, cordisque palpitatio cum omnium virium summa prostratione redibant. Respiratio in dies difficilior reddita, in veram dyspnoeam mutata. Aegrotus, qui in latere dextro non amplius recumbere potuit, vel dorso cubare, vel erecto corpore in lectulo sedere solebat. Percussione pectoris instituta regio cordis et inframammalis lateris sinistri sonum graviorem reddiderunt usque ad costae sextae marginem inferiorem, ita ut de exsudatione in cavum pleurae et pericardii facta diutius dubitare non possemus. Simul in dorso manus sinistrae tumor oedematosus circumscriptus apparuit, pedesque et scrotum oedema cepit. Urina parca et cum ardore in urethra missa, majorem copiam

---

[1]) Noli irasci, lector benevole, tironi; qui, quum tam prosperum exitum morbum capere videret, medicamentorum vi nimium fisus, hujus sanationis mirae causas diligentius perscrutari neglexerit. Proferant alii, majore experientia docti et ingenii acumine excellentiores, hanc rem admodum obscuram in justam lucem. Mihi quidem non veridissimile videtur, eo tempore, quo aegrotus tam bona convalescentia usus sit, vera pericardii inflammatione jam praeterita, stadium exsudationis serosae incepisse, neque priusquam, majore seri copia in pericardii cavitate accumulata, cordis functiones iterum turbatae sint, nova morbi symptomata oriri potuisse, nam omnia, quae nunc secuta sunt phaenomena, hydropericardii potius quam carditidis speciem prae se tulerunt.

sedimenti terrei albidi praecipitabat. Alvus adstricta mansit, etiamsi aegrotus vel centies per diem eam dejicere conaretur. Cutis erat sicca et frigida, sitis aucta, ciborum appetentia nulla. Ope tubae auditoriae murmur respiratorium in inferiore pectoris sinistri parte non amplius audiendum erat, cordisque sonus in dies debiliores fiebant. Nullo somno refectus, anxietate perpetua et summa respirandi difficultate vexatus aeger vitam hanc miserabilem per novem insuper dies sustinuit, ubi, omnibus remediis et diureticis et analepticis et derivativis frustra adhibitis, pulmonum et cordis paralysi ab aerumnis suis liberatus est.

SECTIO CADAVERIS.

Viginti quatuor horis post mortem sectio cadaveris facta. Quum cranii cavitatem perscrutari non permissum esset, pectus apertum. In pleurae sinistrae cavitate circiter unc. triginta sex fluidi serosi turbidi, coloris e flavo subfusci contentae, quo pulmo sinister compressus et cor in latus dextrum remotum erat. Pleurae, et pulmonalis et costalis, exsudata lympha plastica obtectae, inflammationis recentis vestigia hic illic praebebant. Pulmones praeter infiltrationem serosam sani reperti. Pericardium, fluido in ejus cavitate contento, valde expansum ex situ suo normali in latus dextrum pressum, pluribus locis maculis profunde rubris, accurate circumscriptis, grossi argentei magnitu-

dinem adaequantibus conspersum, quas leviter manubrio cultri attingens, propter mollitiem gangraenae non dissimilem, facillime rumpere potuisses. In cavitate pericardii circiter unc. sedecim fluidi serosi, loturae carnis flocculis albuminosis permultis turbatae similis repertae; pericardium ipsum in superficie interna pariter atque in superficie serosa cordis densissime flocculis et membranis ex lympha plastica formatis, obtectum. Atria cordis et ventriculi multo sanguine coagulato, formam polyporum exhibente, repleti; tunica intima cordis inflammata, hic illic exsudata lympha plastica incrassata. Valvulae et mitralis et tricuspidalis in limbis liberis incrassatae, contractae, punctis rubris variegatae, tali modo mutatae erant, ut in futurum functionem non amplius exercere potuissent. Endangium in arteria aorta ejusque ramis non vera inflammatione, sed sola sanguinis imbibitione laete rubre tinctum. Abscessus in substantia cordis nulli detegendi; organa gastrica et uropoëtica in statu satis sano reperta. Hepatis volumen aliquantum auctum, ejusque substantia solito magis adiposa, ita ut colorem pallidiorem, quam in statu sano haberet; venae hepaticae et vena portarum multo sanguine nigro et spisso repletae. Splenis, normalem magnitudinem paullum excedentis, substantia emollita; tractus intestinalis, praeter coli descendentis et intestini recti levem ruborem, morbosi nihil ostendit.

MORBI DESCRIPTIO.

Carditidis exsudativae nomine eam cordis et pericardii affectionem designare volui, quae a phlogosi vera incipiens, in exsudationem lymphae plasticae et fluidi serosi in cavitatem pericardii exire solet; quod quidem Hope de unaquaque pericardii inflammatione contendit.

Sicut plurimae digniorum organorum inflammationes frigore vehemente, horam dimidiam vel unam durante, cum calore pedissequo ardente, hic morbus saepissime intrat. Mira quadam et peculiari anxietate interna et inquiete correpti, aegroti situm eundem ne unam quidem minutam servant, sed huc illuc in lecto sese jactitant. Dolores queruntur nonnunquam ab exordio morbi incertos, obtusos, qui ex cordis regione per totum pectus extenduntur [1]); secundum alios dolor vehementior, pungens, urens vel lancinans in sinistra pectoris parte sentitur, unde versus columnam vertebralem; in humerum, rarius in brachium et cubitum [2]), in hypochondria [3]) aliasque partes propagatur et per omnes adeo artus vagatur [4]), ut febrem rheumaticam adesse putares. Respiratio accelerata, brevis, anxia [5]),

---

1) Kreysig l. c. II. pag. 121.
2) Hope l. c. pag. 97.
3) Corvisart l. c. pag. 16.
4) Davis l. c. cap. III. pag. 39—45.
5) Corvisart l. c. pag. 16.

interdum anhelosa, saepius cum respiratione profunda, cui cum levamine aliquo aegroti luculenter indulgere videntur, alternans. Pulsus celer, parvus, durus, intermittens, mox valde irregularis et dicrotus cordis palpitationi respondet, cujus impulsus interdum tam fortis est, ut totum pectus anterius percutiatur [1]), saepius etiam proprio susurro complicatus, quem quidem sonum, strepitui folliculari similem, Hope [2]) in omnibus affectionibus, quibus cor cum forti vibranteque impetu moveretur, audiendum esse contendit. Vultus aegri incipiente morbo rubet tumetque, oculi prominentes et inquieti circumvoluti, internam diram anxietatem exprimunt; postea genas et labia livor capit, et facies sudore frigido glutinoso obtegitur. Omnia symptomata bis vel pluries per diem exacerbantur [3]), neque desunt exempla, carditidem febris intermittentis comitatae malignae formam assumpsisse et solo chinini sulphurici et opii usu audace debellari potuisse [4]). Alvus adstricta esse solet, urina parca, flammea, mox cum sedimento pulverulento mittitur.

Elapsis aliquot diebus, vel prius, omnia in pejus ruunt phaenomena, respiratio difficilior et cele-

---

[1]) **Hope** l. c. pag. 103.

[2]) **Hope** l. c. pag. 104.

[3]) **Kreysig** II. pag. 125.

[4]) **Ehrenreich** in der Medizinischen Zeitung; herausgegeben von dem Verein für Heilkunde in Preussen. Jahrg. 1844.

rior, interdum tussi aut sicca, aut parcam materiam serosam vel purulentam proferente interrupta; cordis ictus debiliores et irregulares fiunt; aliquando intermittentes et cum stridore vibrantes, pulsus minores, frequentiores, semper vero cum quodam subito impetu micantes, nonnunquam intermittentes. Aegrotus de acerbissimis et vix ferendis cordis doloribus et ineffabili circa praecordia anxietate conqueritur, quae sibi spiritum fere praecludat, quamvis jussus, dummodo dolorem superet, sine tussi inspirare altaque voce loqui possit; nec curans acerbissimam sitim quemque potum, quippe quo dolores summopere augeantur, detestatur. Peculiaris illa anxietas aegrotum cubare non patitur; summa agitatus inquiete jactatur, nec nisi corpore erecto, capite resupinato elatisque humeris, quiete aliqua perfrui potest. Caput temulentum, meditationes confusae, oculi clausi vel rigidi in uno loco defixi, facies livida et turgida, venae jugulares propter impeditam sanguinis circulationem admodum turgescentes pulsantesque. Urina parca, turbida, jumentosa; extremae corporis partes frigidae, sudore frigido madidae, non raro oedematosae; aegrotus ad lipothymias propensus. Systematis chylopoëtici turbationes variae existunt; appetentia ciborum, ut in quoque fere morbo acuto graviore, omnis deest; saepius cum vomitu morbus incedit, quo fit, ut facile cum ventriculi affectione inflammatoria confun-

datur [1]). Alvus retardata vel prorsus obstipata esse solet, etiamsi aegroti, inquiete magis quam vera alvi dejiciendae necessitate compulsi, saepissime alvum explere conentur. Symptomata nervosa interim magnopere augentur: deliria, praesertim in hystericis frequentiora, urgent; animi deliquia quemque corporis motum insequuntur; immo non desunt, qui hoc in statu deliria furiosa [2]), aut tetanum [3]), aut risum sardonium [4]) viderint. Alii paucis demum horis ante mortem delirare incipiunt [5]), alii semper anxii, inquieti, insomnes per totum morbi decursum jacent.

Jam majore in pericardii cavitate exsudati copia accumulata, hydropericardii symptomata accedunt. Secretionum, praesertim cutis et renum imminutio; tumores oedematosi in dorso manus vel circa pedis articulationem; sensus gravitatis ponderisque in cordis regione versus diaphragma, quodsi ad ventriculum premitur, vomituritiones vomitumque ipsum facile excitat. Percussio sonum obtusum et debilem, auscultatio vesicae aqua repletae similem strepitum praebet, qui magnum habens circuitum, saepe etiam dextri pectoris latus occupat ibique respirationis strepitum tollit. Pulsatio cordis, nisi

---

1) Schoenlein l. c. I. pag. 160. — Davis et Testa l. c.
2) P. Frank l. c. IV. pag. 247.
3) Davis l. c. pag. 53.
4) Hope l. c. pag. 97.
5) Corvisart l. c. pag. 16.

forte hypertrophia simul adest, vel nulla vel obscura tantum et in profundo thorace sentitur. Larrey [1]) signis hujus morbi pathognomonicis adnumerat sensum fluctuationis, quem medicus, digitis tussienti aegroto inter sextam et septimam costam lateris sinistri impositis sentire possit; quod quamquam signum alii plane negaverunt, alii, inter quos Kreysig, non animadverterunt, attamen non est, quod, quin revera locum habere possit, dubitemus. Constantissimum vero omnium cordis morborum signum est sanguinis plane turbata circulatio, quod et pulsus conditione, congestionibus caput versus, susurro aurium, anxietate cognoscitur. Mors denique post duas vel quatuor hebdomades, nisi forte jam primo morbi impetu aegrotus morti succubuerit, cordis et pulmonum paralysi vitam finire solet.

SECTIO CADAVERUM.

Si absque pleuritide vel pneumonia, quod raro fit, sola carditide exsudativa aegrotus obiit, pro inflammationis sede varia haec occurrunt phaenomena pathologica. Pericardium ipsum, magis minusve extensum, majori minorive seri exsudati copia impletum, rubore tum magis tum minus saturato tinctum apparet. Raro supra totam partem inflammatam rubor hicce aequabiliter extenditur, sed maculas coccineas vel profunde rubras (pro diverso

---

[1]) Larrey l. c. pag. 121.

inflammationis gradu) format, quae nonnunquam a gangraena vera non multum discrepant. In cavitate pericardii lymphae plasticae et seri turbidi major minorve copia, inter uncias septem et libras duas plerumque varians, contenta: exsudata fibrina concrementum unius vel trium linearum format, superficie aspera, villosa, cellulosa, coloris initio albido-flavi, postea magis fusci. Interdum etiam hoc in concremento plastico strias parallelas, ex basi cordis versus mucronem vergentes, e frictione cordis et pericardii ortas, cernere licet. Nonnunquam quoque pericardium cordi, modo singularibus tantum filamentis, modo latius extensa concretione adhaeret. Serum vel solum, vel una cum lympha plastica in cavum pericardii effusum, varium praebet colorem: modo pellucidum, subflavum, viridiusculum, loturae carnis haud dissimilem: modo turbidum, flocculis multis et filamentis albuminosis, sero innatantibus, intermixtum.

Si substantia cordis ipsa inflammationis non expers fuit, secundum Meckelium, quocum Kreysigius[1]) consentit, fibrae musculares pallidae molles, minus tenaces; tela cellulosa interposita languida, neque raro materia quadam lymphatica vel purulenta impleta, in aliis vero casibus plane destructa est. Externa cordis superficies, pericardio detracto, nonnunquam materia ex albido flava, quae fibras

---

[1]) Kreysig l. c. II. pag. 79.

externas eodem modo commutasse videtur, ita obducta est, ut totam cordis substantiam in massam adiposam transiisse censeres. Dr. Latham exemplum acutissimae carditidis observavit, ubi post mortem totam cordis substantiam laete rubefactam, mollitam, et inter sectionem punctis, vero pure constantibus, quasi obsitum vidit. Cordis ventriculi plerumque lymphaticis et prope polyposis concrementis impleti; tunica cordis intima rubra, tumefacta, emollita, aut saepius densata, quandoque autem suppuratione ita destructa, ut remotis singulis adhaerentibus particulis pureque absterso fibrae musculares paene nudae videantur.

AETIOLOGIA.

Etsi cordis et pericardii inflammationum a scriptoribus medicis priore tempore multo rarius, quam nostra aetate mentio facta sit, (id quod mirum videri possit, nisi omnino diagnosis morborum cordis, exploratione physicali, qua nos gaudemus, non adhibita, tam difficilis esset, ut facillime cum organorum prope sitorum affectionibus confunderentur: tamen negandum non est, veteres scriptores medicos sub cardiogmi, palpitationis cordis, asphyxiae cordis vel asthmatis suffocativi nomine verae carditidis symptomata multo melius depinxisse, quam multos nostrae aetatis medicos, qui, optimis licet tubis auditoriis instructi, solam spasticam vel rheumaticam cordis affectionem saepius pro vera cardi-

tide habuerint. Quem morbum rarissime occurrere, viri celeberrimi: Burserius, Senac, Stoll, P. Frank, Heim, M. Baillie, libere fatentur, qui, etsi permultos viderint aegrotos, carditide vera laborantes perpaucos tantum conspexerunt.

Cordis inflammationes in unaquaque vitae aetate occurrere possunt; saepissime vero inde ab anno sexto usque ad trigesimum quintum exstant; neque tamen vel tenerrima puerilis aetas hujusce morbi prorsus expers, etsi in ea, durante vita, facillime praetermittatur.

Quod vero ad causas occasionales, quibus carditis exsudativa efficitur, attinet, primum notandum est, ex constitutione aëris epidemia, testibus Hendriksz, Huber, Gittermann[1]) et Trecourt[2]) eam oriri posse. Tum laesiones mechanicae pectoris et cordis, uti contusiones, vulnera in pericardium penetrantia, causis hujus morbi adnumerandae sunt. Prae ceteris vero animi pathemata, et excitantia et deprimentia, ad procreandam pericarditidem plurimum conferre, et vir illustrissimus Schoenlein asserit, qui in hominibus, qui scelus commiserint, saepenumero cor villosum oriri animadvertit, et nosmet ipsi in aegroto, cujus morbum supra descripsimus, comprobatum vidimus. Tum ex corporis nimia contentione, inter currendum,

---

[1]) Harless, Rhein. Jahrbücher T. V. Sct. I. T. VI. Sct. I.

[2]) Chir. Abhandl. u. Wahrnehm. A. d. Franz. Leipz 1777. pag. 20—30.

saltandum, cantandum, imprimis si cum animi exaltatione conjungitur; ex habitualium sanguinis profluviorum subita suppressione, ex frigore suscepto, ex pleuritide vel peripneumonia, latius sese extendentibus, ex metastasi exanthematum, phlebitidis, febris puerperalis, typhi abdominalis, arthritidis, prae omnibus vero rheumatismi [1]), saepissime carditis originem ducit.

Rheumatismum acutum, praesertim articulorum, frequentissimam carditidis causam esse, etiam Bouillaud [2]) ait, qui dimidiam partem omnium, qui acuta rheumarthritide laborabant, in pericarditidem vel endocarditidem incidere vidit.

Hache [3]) inter septuaginta duos aegrotos, qui pericarditide laborabant, sedecim simul rheumatismo articulorum affectos observavit.

DIAGNOSIS.

Comparantes ea, quae praesertim recentissimis temporibus multis magnisque viris de carditide et pericarditide litteris mandata sunt, etiamsi magnam variamque inveniamus opinionum differentiam, plurimos tamen consentire videmus, in plerisque casibus non facile esse, hos morbos ab aliis dignoscere. Quod, re obiter considerata, mirum videtur, quum

[1]) Hope l. c. pag. 101.

[2]) Bouillaud, Réch. sur le Rhumat. artic. aigu etc. Paris 1836.

[3]) Canstatt, spec. Pathol. u. Therap. T. IV. Sct. I. pag. 100.

normali statu jam levissima cordis irritatio ac perturbatio luculentius nobis se offerat, quumque ejus structuram et functionem optime cognitam atque perspectam habeamus; quare causas investigare operae pretium esse videatur. Primum dignitas cordis ipsius, ejusque gravissimum in totum corpus imperium in causis est, quibus fit, ut tantus simul numerus gravissimorum consensualium symptomatum oriatur, quae facile a recto tramite nos seducant. Tum situs et intimus cordis cum partibus adjacentibus tam nervis quam vasis connexus, neque minus simillima illa pleurae et pericardii structura multum conferre videntur, ut saepissime phlogosis ab uno ad alterum organon extendatur, eoque modo sincera morbi imago nobis obfuscetur. Attamen, si aegrotus sub febri vehemente inflammatoria dolorem permagnum vel calorem vix ferendum in sinistra cordis regione queritur, altius autem, quin tussis et dolores magnopere augeantur, inspirare potest, si peculiari simul circa praecordia anxietate torquetur, nemo facile errabit, si morbum pericarditidem dicat; si autem pulsus et cordis ictus simul frequentissimi, celeres, vibrantes, irregulares et intermittentes deprehenduntur, de morbi diagnosi nihil amplius dubitari potest.

Morbi, quibuscum facile carditis confunditur, sunt pleurae, pulmonum, diaphragmatis inflammationes et cordis quaedam affectiones spasticae, prae ceteris angina pectoris. Sed organorum prope si-

torum phlogoses non cum peculiari illa circa praecordia anxietate, neque cum pulsu tam irregulari et intermittente incedunt. Praeterea in pleuritide percussi pectoris sonus gravior et strepitus coriaceus vel aegophonia, in pneumonia rhonchus crepitans audiendus. Tussis in utroque morbo vehementior urget, mox cum sputorum tenacium vel sanguineorum ejectione consociata. In diaphragmitide dolor in profundiore pectoris parte sentitur, respiratio multo magis turbata, risus sardonius, convulsiones, singultus simul existunt. Anginae pectoris paroxysmi facilius a carditide dignoscuntur, quum sine febri incedant et, nisi praegressis per longius tempus cordis perturbationibus, vix unquam intrent.

PROGNOSIS.

Ex inflammationis gradu et causa, sicut ex exsudati copia et natura potissimum pendet prognosis. Exsudatum copiosum, plasticum, purulentum, ichorosum pessimi eoque pejoris est ominis, quo celerius post morbi initium sese formavit, quo vehementior simul febris incedit et quo citius omnes vires solvuntur. Sanationem vero felicem, etiam magna seri et lymphae plasticae copia in pericardium effusa, aucta resorptione contingere posse, non est, quod dubitemus, quum multa hujus rei exempla scriptores attulerint. Si complicationem, quod saepe fit, morbus init cum pleuritide, pneumonia, endocarditide, periculum valde augetur. In-

flammatio pericardii idiopathica facilius quam metastatica curatur. Ex organicis cordis vitiis pendens carditis pessimam tantummodo admittit prognosin. Praeterea etiam aetatis aegroti ratio habenda, quum pueri et senes sanguinis largiorem detractionem, optimum carditidis remedium, non bene perferant.

CURA.

Omnes acutae cordis et pericardii inflammationes ab initio gravissimam antiphlogosin, praesertim universales, celeriter repetendas sanguinis detractiones indicant, quibus activa morbi natura frangatur. Sanguinis mittendi copia non certis regulis definienda sed pro inflammationis gradu, pro aegroti constitutione et viribus moderanda; quo largiores vero primae sanguinis detractiones instituuntur, quo brevioribus intervallis repetuntur, eo melius contingit inflammationis in statu nascente suppressio. In multis casibus, praesertim morbi initiis, tumultuosa symptomata jam ultro ad hanc curam nos invitant; sed parvi ipsi et vix sentiendi cordis et arteriarum ictus, lipothymiae et maxima, quae videtur, debilitas nos non deterrere, sed potius impellere debent, ut quam celerrime venam aperiamus.

Sicuti omnes serosarum membranarum inflammationes, ita quoque pericarditis ad exsudationem seri plastici propensa est; quapropter hanc exsudationem aut impediendam, aut, si jam accidit, aucta resorptione submovendam curare debemus. Aptis-

sima ad hunc curationis finem mercurii praeparata laudantur, imprimis hydrargyrum muriaticum mite, cujus quina vel octona grana simul cum opii puri granis singulis ter per diem, nihil curans salivationem hisce medicamentis excitatam, Hope[1]) adhibere solebat. Praeterea unguentum mercuriale cinereum regioni cordis sedulo illinendum; alvus clysmatibus et remediis catharticis salinis depuranda. Alii tartarum emeticum in refracta dosi, sicuti in pneumonia, adhibitum valde commendant. Postea vesicatoria, et si cordis motus universali systematis nervosi irritatione, tumultuosiores fiunt, herba digitalis purpureae vel interne vel per cutem (methodo endermatica), quod quidem Bouillaud praefert, in usum vocanda. Quies corporis et quantum fieri potest, etiam animi, una cum diaeta strenue antiphlogistica ad felicem sanationem haud minimum valent.

Qua curandi ratione si primus feliciter inflammationis impetus repulsus est, sedulo cordis regio et plessimetri et stethoscopii usu exploranda, ne nos fugiat morbi in exsudationem seroso-plasticam exitus. Quod si acciderit, remediis mercurialibus in plena dosi adhibitis et vesicatoriis permagnis saepe repetitis, cordis regioni appositis, prosperum exitum adduci posse, Piorry experientia edoctus affirmat.

---

[1]) Hope l. c. pag. 114.

Si vero ex diathesi vel arthritica vel rheumatica, aut per metastasin febris exanthematicae, aut resorptione puris vel ichoris inflammatio cordis orta est, hujusce causae potissima ratio habeatur oportet. Rheumaticas et arthriticas affectiones in extremis corporis partibus figere, vel retrogressas ad cutem rubefacientium vel vesicantium remediorum ope revocare, aut internis medicamentis ad eam propellere conamur; quem ad finem optime antimonii praeparata, vel colchicum autumnale, aconitum, resinam guajaci, mercurium sublimatum corrosivum adhibemus. Copland, ad nimiam fibrinae copiam, qua sanguinem in arthritide et rheumatismo acuto abundare dicit, imminuendam, oleum terebinthinae, cujus ter per diem singulae drachmae sumantur, usque dum renum secretio augeatur, nec minus natron subcarbonicum vel subboracicum et kali hydrojodicum valde laudat. Omnibus vero remediis ad serum in pericardii cavitatem exsudatum summovendum frustra adhibitis nihil restat, nisi ut paracentesi pericardii fluidum in ejus cavo accumulatum evacuetur, qua quidem operatione, licet valde periculosa, nostra aetate Schuh et Skoda felicem hydropericardii sanationem effecerunt.

SUBSIDIA LITERARIA.

J. P. Frank, de curandis hominum morbis epitome, praelectionibus academicis dicata. Manheimii 1792.

A. J. Testa, über die Krankheiten des Herzens. Auszug aus dem Ital. von Kurt Sprengel. Halle 1813.

F. L. Kreysig, die Krankheiten des Herzens bearbeitet und durch eigene Beobachtungen erläutert. 3 Th. Leipzig 1814.

J. F. Davis, Untersuchungen über die Symptome und Behandlung der Herzentzündung. Aus dem Engl. von J. L. Choulant, mit Vorrede und Bemerkungen von Dr. F. L. Kreysig. Halle 1816.

J. N. Corvisart, essai sur les maladies et les lésions organiques du coeur et des gros vaisseaux. Paris 1818.

James Hope, von den Krankheiten des Herzens und der grossen Gefässe. Aus dem Engl. übersetzt, mit einem Vorworte, Anmerkungen und Zusätzen herausgegeben von Dr. F. W Becker. Berl. 1833.

Canstatt, spec. Pathologie und Therapie. Bd. IV. Erlang. 1843.

Schoenlein, Allgem. u. spec. Pathologie und Therapie. Nach dessen Vorlesungen. St. Gallen 1841.

VITA.

Ego, Fridericus Ludovicus Augustus Bock, fidei evangelicae addictus, natus sum die XVIII. mens. Novembris anni MDCCCXVIII Havelbergae, provinciae Brandenburgensis oppido, patre Christiano Friderico, mercatore, quem jam diu defunctum valde lugeo, et matre Justina e gente Thien.

Ad nonum usque aetatis annum domi primis litterarum rudimentis imbutus, tum sacrorum antistiti cuidam doctissimo et dignissimo traditus, tantopere per tres annos in litteris profeci, ut tertio ordini gymnasii, quod Stendalii auspiciis Cel. Haacke floret, adscribi posse.m. Ibi quatuor annos commoratus, ut arti pharmaceuticae studerem, domum redii; cui postquam sex annos operam dedi, quum non tantam, quantam expectaveram, voluptatem res pharmaceuticae animo afferrent, ut in artem medicam incumberem, Berolinum adii, ubi testimonium maturitatis nondum adeptus et in numerum chirurgorum receptus per annum unum hisce interfui lectionibus: Ill. Schlemm de osteologia, Ill. Müller de anatomia, Ill. Hecker de encyclopaedia medica, Ill. Schultz de historia naturali medica, de botanice, Cel. Turte de physice experimentali. Tum testimonio maturitatis in gymnasio Stendaliensi mihi parato ab Ill. Raumer inter cives academicos rite receptus et apud Ill. Müller, t. t. gratiosi medicorum ordinis decanum maxime spectabilem, nomen professus, has frequentavi lectiones: Ill. Mitscherlich de chemia experimentali, Ill. Trendelenburg de logice, Ill. Müller et Ill. Schlemm de arte cadavera rite dissecandi.

Deinde Halas petii et ab Ill. Bernhardy, t. t. prorectore magnifico, in numerum civium academicorum receptus et apud Ill. Krukenberg, t. t. facultatis medicae deca-

num spectatissimum, nomen professus, hisce per biennium interfui lectionibus: Ill. Krukenberg de pathologia et therapia generali et speciali, Ill. Blasius de chirurgia, de aciurgia, de arte fascias applicandi et de operationibus ophthalmiatricis, Ill. Friedländer de pharmacologia et de historia artis medicae, Ill. d'Alton de physiologia et anatomia comparata, Cl. Kramer de medicina forensi, Ill. Hohl de arte obstetricia, Cl. Burmeister de zoologia et historia naturali generali, Exp. Rosenbaum de morbis syphiliticis. Hujus anni tempore paschali Berolinum regressus sum et hujus academiae civibus a rectore magnifico Ill. Hecker adscriptus et apud Ill. Wagner, h. t. decanum spectatissimum, nomen professus, scholam clinicam et lectionem de medicina forensi, practicis operationibus illustratam, docente Ill. Wagner, usque ad hunc diem frequentavi.

Ad praxin medicam exercendam me instituerunt Ill. Krukenberg et Ill. Wagner, ad praxin chirurgicam Ill. Blasius, ad artem obstetriciam Ill. Hohl.

Quibus omnibus viris summe venerandis, optimeque de me meritis, maximas ago gratias et in sempiternum habebo.

Jam tentaminibus tam philosophico quam medico, et examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Certa laesae virginitatis signa non existunt.
2. Haemorrhoides prosunt melancholicis.
3. Mortis certum signum nullum, nisi putredo.
4. Nil mortui in natura.